

00
Kk

I
5.
N° 32

Zur Bibliothek des Königs und Herzogs von Sachsen
Mit dem beigegebenen Aufdruck.

38

40.

DEVM NASCENTE CHRISTO GLORIOSISSIMVM

DILAVDARE INSTITVIT

ET

CIVES ACADEMIAE AMANTISSIMOS

AD

NATALIA IESV

RITE RELIGIOSEQ. CELEBRANDA

OFFICIOSISSIME INVITAT

IOACHIMVS SAMVEL
VVEICKHMANN

S.S. THEOLOGIAE DOCTOR HVISQVE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR ET AD OO. SS. PRAEPOSITVS SVIQVE
ORDINIS H. T. DECANVS

VITEMBERGAE D. XXV. DECEMBR. MDCCCLIV

PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

DEUTSCHE
GEGENRETTUNG
VON
GRIMM

GRATIACADIERA VINITIUS

JOACHINUS SAPPHO
VAGINAE

DEUTSCHE GEGENRETTUNG



DEVS CHRISTO NASCENTE
GLORIOSISSIMVS



Quanquam immortale praepotensque Numinen, in condendo mundo, rerum salutis creatarum summa cum benignitate prospexit, atque in hac terra constituenda, felicitatis humanae praecipuam suscepit curam, primum tamen omnium gloriae suae amplitudinem spectauit, pulcherrimaque rerum fabrica sic protulit in lucem, ut, nisi uelimus oculos nefario claudere flagi-

A 2 tio,

tio, cunctos cogat ad sui uenerationem festinare. Qui quidem scopus, Deo, praeter alios omnes, in hoc, quod cernimus, opificio suo, propositus, homini sacrarum literarum perito, est in promptu, propterea, quod certis ipsis Dei testimoniis exploratisque transditur. Quam splendida ratione dicendi uates regius, Dei magnificentia commotus intime, coeli uoces affert, laudes diuinias enarrantis, clamoresque aetheris, qui manuum eius opus ostentent, idque tanta ui, ut nullus sit sermo, nulla penitus lingua, ubi non eorum sonus audiatur. ¹⁾ Quam concitatae Paulus turpis gentes profanas negligentiae postulat, qua Deum non coluerint pro dignitate, ex operum suorum contemplatione facillime cognoscendum. hoc enim consilio, tam mirabili sapientia cuncta coagmentata, ut Dei uirtutes, a sensibus remotae nostris, sempiterna maxime uis atque diuinitas, a nobis perspiciantur e rebus gestis, sine ulla stuporis excusatione. ²⁾ Quam denique pie, quam continenter, ipsi coelites ad eundem finem Dei summum contendunt, dignum iudicantes eum, qui gloriam,

¹⁾ Pf. XIX. 2. 4. Quem quidem locum nouissime persequitur docte, clarissimi Vir nominis, Formey in Philosopho Christiano, commentatione eleganti de lingua coeli P. 3. c. I. p. 1

²⁾ Rog. I. 20. 21

am, et honorem, et potestatem, deportet, causiamque interferentes, quod uoluntate sua fecerit omnia, factaque tueatur. 3) Sentit horum codicis sanctissimi oraculorum clarissimum lumen, uel ipse Dublinensium Antistes, Guilielmus Kingius, ex eoque, putat, apparere, Deum splendoris sui studio, cum mundi iaceret fundamenta, adducrum uideri. 4) Sed in uocum proprietate, negat, inhaerendum, quippe quae morem p[re]ferant humanum, mundique uenustatem reddant illustriorem, quae facile nos in opinionem possit adducere, ac si Deus, aedificator mundi, suae seruierit existimationi. Quoniam uero propria uis sermonis, sine graui necessitate, deferenda non est, temere Kingius ab ea discessit. Bene enim praecipit illustris Mosheimius, ubi in eandem sententiam, contra Baylium, disputat, difficultates plerasque ex intellecta perperam hac loquendi formula, mundum Dei gloriae caussa conditum, nasci, 5)

A 3


et

3) Apoc. IV. II

4) De Origine mali Sect. III. cap. I. p. 44

5) Not. ad Cudworth. Systema intell. p. 1185. sequ. Cei addatur uenerib[us]. Ribouius in Institution. Theologiae Dogmaticae p. 845. Neque uero cum illis, defendenda hac sententia, ueteris Theologi praestantissimi memoriae dissident, in quibus Calouium System.

Tom.



et rationis p^{rae}conceptis opinionibus. Nobis certe, qui creationem referimus cum tabulis diuinis ad decora summi numinis, nunquam sententia stetit, Deum dotes suas, rebus omnibus efficiendis, conseruare uoluisse, aut nouis augere, aut intolerantius, artificum quorundam consuetudine, iactare, aut plus, quam mereatur, dignitatis postulare. Quae uniuersa ac singula, natura Dei infinita, nulli subiecta mutationi, non capit, his autem sublaris, tolluntur maximam partem scrupuli Philosophorum, rursus nuper injecti a celebr. Dariesio,⁶⁾ studioseque a duumuiris, Bielckio,⁷⁾ et Stiebrizio,⁸⁾ perquisiti. Diuinum potius sapientissimumque Numen, in effingenda rerum compactione, specimina uirtutum longe excellentissimarum innumerabilia non edidisse modo censemus, sed etiam edere debuisse, quorum conspectu, ratione p^{rae}editis naturis, facultas praebatur earum recognoscendarum, atque ea, qua par est, religione prosequendarum. Atque haec monumenta bonorum, qui-

Tom. III. p. 900, et Gerhardum laudo L.L. Theol. Tom. II. §.
84. p. 13

6) Vid. ei. *Philosophische Neben-Stunden in der 2. Sammlung, die 2. Abhandlung.* p. 51

7) *Von dem letzten Endzweck der Schoepfung nach Schrift und Vernunft*

8) *In vermischten Abhandlungen Sect. III. p. 379*

quibus Deus exsplendescit, ad omnem memoriam insignia,
 tantum abest, ut ei sint dedecori, ut a sanctitate eius scium-
 gi non possint. Haec nihil expedit, nisi quod rectum,
 diuinaque praestantia dignum iudicetur, haec abhorret ab
 omnibus, quibus sua obscurari possint ornamenta, haec
 gloriam quidem non confectatur anxia solicitudine, opti-
 me tamen agendo, iure meritoque cognoscendam colen-
 damque, expectat. Nihil opus est, hic diutius morari,
 quod hoc, ex sanctissima Dei uoluntate, repetitum argu-
 mentum, Sacrorum Dresenensium Antistes Summe Venera-
 bilis, D.N. D. A M - ENDE, eruditæ, de DEO Glorioſo, diatri-
 be, magna excusſi induſtria, hostium gloriae DEI impetum
 et ferociam ut compresserit ſolide, feliciterque debellarit.
 Relinquitur, ut homo ſanus ita ſecum cogitet, ſapientiae di-
 uinae non immemor. Finem quendam Deus, cum mundum
 in lucem aspectumque proferret, animo ſine dubitatione
 prospexit, uel in ipſo Deo, uel mundo, reperiundum. At
 in mundo, quippe consiliū diuini remedio ac praefidio, cum
 repugnet inelle, in ipſo Deo quaerendus uidetur, qui per
 mundum dotes suas immenſas neque tueri potuit, neque
 accessione quadam eas cumulare. Quae cum ita ſint, Deum,
 hac uniuersitate perficienda, dubitandum non eſt, magnitu-
 dinem ſuae illuſtratię gloriae et patefeciffe

At

At sapientissimum Dei sanctissimumque propositum peccari scelus interpellauit, eiusque nomini, quod omnis nobilitauerat orbis, turpiter offecit. Dimissis ceteris, quibus continenter leges, diuinitus sanctitas, migramus, criminibus, ultimorum perfidiam parentum, primam fundi nostri calamitatem, nunc attingam. Haec aequissimi gloriam legislatoris audacia tanta labefactat, ut, quoties de ea cogito, stupefactus haeream. Detrahit de sapientia eius, quam commodissima felicitatis humanae subsidia, negat, elegisse, prohibito arboris iucundissimae fructu. Bonitatem uero Dei putat inuidiam, quae nos ad summum uoluptatis fastigium nolit peruenire. Pari contumelia autores generis nostri ueritatem eius afficiunt, quod illum, mortis poenas comminantem, mentitum credunt, mendacis culpam serpentis in Deum conferentes. Neque sanctitatem eius reformidant, fidei detractationem leniter accepturam. Quid dicam de iustitia puniente, coniuncta cum ui poenas atrocissimas infligendi, quam incredibili animi leuitate contemnunt. Admissa tandem perduellione quaerunt latebras praesentiae Dei, nullis circumscriptae regionibus, frigidisque coloribus eius scientiam sese decepturos sperant. O insanam temeritatem, id unice molientem, ut, illecebris inferorum corrumpa,

pta, coelum petat ipsum; regemque regum, gloria sua pri-
uatum, de gradu deiicere audeat, quem, propter praecclara
in se merita, perpetuo uenerari obsequio debuisset, grataque
memoria tot beneficiorum, bonis externis omnibus praefe-
re. Hic profecto conclamatum fuisset actumque de mun-
di praestantia, ipsius effectoris sui suffragio comprobata;
cuncta pronuntiantis optima, nisi, quae nefanda peccati la-
bes deprauarat, cura prouidentiaque coelestis restituisset.
Quae secum Lysurus noster reputans, admiratione plenus,
ac potius pietate, licet, inquit, per hominis lapsum aliquo
modo finis iste creationis, gloria Dei, quasi interceptus sit,
attamen per secundam creationem, quod a diabolo interru-
ptum fuerat, ita restauratum est, ut iam, ex gloria redem-
ptionis, bonitas creationis tanto magis effulgeat. 9) Sie sen-
tiendo Paullum ducem sequitur, cum coque Adami deli-
ctum, quod nostris nos fortunis euerterat, et salutem, per
Christum, redintegratam, comparat, istius ramen atrocita-
ti, huius magnitudinem abundantia, nullis uerbis asse-
quenda, praeponit. Οὐ ἐπείνατε ἡ ἀμαρτία, ὑπερπεπλούσια
ἰχάς. 10) Evidem salutarem malorum nostrorum resti-

9) In System. Thier. Exeget. p. 511.

10) Rom. V. 20. Conf. b. Io. Petr. Grünebergii dissert. de Gratia, pra-
mole peccati superabundante

ditionem, miseriis aerumnisque longe superiorem, dum
considero, et uim uerbi ὑπερπειστούσην, nulla cogitatione sa-
tis exhauiendam, peruestigo, DEVS, Christo nascente,
GLORIOSISSIMYS, me totum in se conuerit. Christus
quidem in praesepi reclinatus, propter angustias diuersorii,
fasciisque inuolutus a Maria, parente probac paupertatis
nihil gloriae, dignitatis nihil, prae se fert, contra ea
humili nascendi sorte nobis similis, usu maiestatis diuinæ
pleno se se abdicat, siuunque Parris relinquit. Quod si
cauillas huius felicis ortus atque exitum perpendo, qui de-
speratis hominum rebus opitularur, eosq[ue] afflictos ac pe-
nitus prostratos, noua consolatione erigit, et recreat, ne ne-
rabundus accedo ad hanc gratiac diuinæ sedem, ubi tot
uirtutem radii sparguntur, ut nihil hodierni diei religio-
ne dignius, nihil sanctius, nihil suauius commentari me
cum possim, **GLORIAM DEI**, illi sui, in mundum missi,
aduentu laetissimo, singulari honore decorata. Quod qui-
dem propositum sit ut conficiatur, ita me tractabo, ut
primo **GLORIAM DEI**, Christo nascente eminentem,
demonstrem, *deinde* eam ab audacia profigatorum homi-
num, qui hanc occultam et reconditam pietatis doctrinam
deprauate uitiare, imo labefactare, omni contendenterunt
ope, defendam.

10) Rec'd A. Co. Cough P. 10. Ba
Quesne


Quantam Numen gloriam Christi in terris ortu, con-
sequatur, agnoscit mecum coelestis exercitus multitudo;
quae, coelo repente delapsa, socio suo, primo gaudii imagi
praeconi, adstat.¹¹⁾ Quae tandem causa tam fulgentis ac-
cessus, tamque inopinati.¹²⁾ Luca teste, laus Dei, uno ore
praedicanda. Iam ille demum laudat alium, qui, quam
multis hic, quam eximiis, sit virtutibus praeditus, enum-
erat. Ita Cicero in regina epistolarum, quantum est in se,
pati non vult, ut cum exceptione frater laudetur. Id
quorundam pertineat, ipse statim declarat, omnes, qui istinc-
tuieniant, de eius virtute, integritate, humanitate commi-
memorare, excepta iracundia.¹³⁾ Quam ob rem coeli incole-
DEVM, filio nobis donato, laudibus exultare non possunt,
quam eius interminatas, quas haec proficit liberalitas, virtu-
tes intelligent, intellectas demissis cultu obseruant, obserua-
tas, quanta possint eloquentia, enarrant atque exornent.
Quid multa. Hymnus ipsorum, quo DEI canunt laudes,
satis docet, quanta DEVM gloria in Christi natalibus, putent,
efferebund. Namque in huius cogitatione cultaque unice
defixi, prima cantus fui uoce, quid quantumque sentiant,
exprimunt. Δέξα ἐν οὐρανοῖς Θεῷ. Iungunt eleganti con-
cupis

B. 2

trapo-

11) Luc. II. 13

12) Ad Quint. Fratr. I. 1



traposito, *avtideror* dicitur, coelum terrae, Deum homini-
bus, ut suum cuique tribuant. Ac Deo quidem dant glori-
am, ipsi debitam, uoce usi solemni, quam cum Cicerone
rursus liceat interpretari. Etenim Caesaris uocem, satis se
diu gloriae uixisse, quo reprehendat, gloriam illustrem ac
peruagatam, docet, esse multorum et magnorum in omne
genus hominum famam meritorum.¹³⁾ Eandem, alio loco,
nominat consentientem laudem honorum, incorruptam uo-
cem bene iudicantium de excellenti uirtute.¹⁴⁾ Cuius au-
tem uirtus, filio in mundum allegando, est excellentior,
cuius plura in nos totumque mundum promerita, cuius be-
neficia maiora, quam Dei. Tanto iustius personant omnia
nocibus coelestium copiarum, δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ. Veteres,
scimus, profanas gentes hymnis insana superstitione falsorum
celebraſſe Numinum laudes, quos uariis Deorum
nominiſibus ac Dearum solebant appellare. Neque coele-
ſtibus ſolum Diis, ſed etiam inferis, carmina dedicabant,
atque adeo, ne quid furori deſſet, ipsis furiiſis δυσκελέ-
δouſ ūμουροι, aspera, tristi et horrida oratione, compon-
nebant. Quo conſilio in omnibus quondam oppidiſ ū-
μογεδφοι, ſue pulchre cadentium hymnorū scriptores
atque

13) Pro Marcello c. 8

14) Tufc. Quaest. III. 2

atque artifices alebantur, ac praeter hos ii, qui Theologis erant adiuncti, *μυωδοι* et *συνωδοι*, cantores, e principibus plerumque uiris delecti, apud Arcadas uero pueri, ab ineunte aetate assuefacti.¹⁵⁾ Longe nobiliores uerba nobis praeceunt auctores hymni, ipsi coelestes genii, summi Dei gloriam concinantes, uoce tam alta, quae uel *ὑψησθαι* audiatur. Bengelius certe non incommode uerba facere uidetur, hanc in sententiam. *Non dicunt in coelo, ubi etiam angeli, sed rara locutione, in excelsissimis, quo angeli non aspirant, Hebr. I, 3. 4.* *Volunt, laudationem suam ad summam ascendere.*¹⁶⁾ Quo officio perfuncti nuntii de coelo demissi, suum illud solemne seruant, ut quibus nihil exoptatus potest, nihil dulcius euenire, facultate quavis, inferiendi gloriae diuinae. Vedit olim haec eorum studia acerrima uates, raptus in aspectum Domini, in edito scendentis folio. Apparent eius administri, gerentes alas, ac deuotissima pietate inter se conclamantes, sanctum, sanctum, sanctum, Iouam armipotentem merito habendum, cuius gloria repleatur uniuersus orbis.¹⁷⁾ Non minor iam cupiditate flagrant adorandi Dei, eiusque laudes longissime

B 3

gissime

¹⁵⁾ Spanhemius Obseru. ad Callimach. p. 2. sequi

¹⁶⁾ Gnomon. N. T. p. 213. adde Luc. XIX. 38

¹⁷⁾ Ief. VI. 1. sequi



gissime propagandi, cum Christus in hanc lucem suscipitur. Hic enim campus illis aperitur latissimus, in quo diligentia uersetur eorum, uirtutes diuinas in primis cognitas habendi. Quapropter omnem operam, industriam, mentem denique omnem conantur adhibere, qualis certatur in iis, qui corpore, capite praesertim, inclinato, contuentur res cognitione ac memoria dignissimas, *ἐπιθυμοῦσιν εἰς ταῦτα μαρτυρίαν.*¹⁸⁾ Diutissime uero morantur in reperienda sapientia Dei et collaudanda, quod haec mirabiliter varietate eos delectatos retinet, ex noua rerum per Christum constitutione, in coetu diuino perspicue illis significata.¹⁹⁾

Capiamus ex hac coelitum prudentia, quod imitemur, et cum mens nostra, angustis definita terminis, neque singulas Dei uirtutes satis assequatur, neque coniunctas inter se pulcherrimo consensu, insistamus in una, et quantae sit Deo gloriae filii sui ad mortales accessus, administratus multo sapientissime, ponderemus. Quoniam uero breuitas operis prohibet plura perseQUI, tempus in primis decerpamus, quo assertor noster sanctissimus natu-


ra

18) 1. Petr. I. 12

19) Ephes. III. 10

ra sese nostra induitum ostendit, ut oculis uidēamus, illud et consūlissimum fuisse, et sine causa, temerariis sapientiae insipientis criminacionibus, uituperatum. Haec enim Porphyrii uocem saepe iactat, cur Christus tam sero, nouissimis demum temporibus, ad nos abierit? Cuius insolentia

²⁰⁾ Animi sententiam exponentem si audire uis, Augustinus addundis erit, qui eum hoc modo loquenti facit. Si Christus omnis salutis uiam dicit, gratiam et ueritatem, in seque soli ponit animis sibi credentibus redditum, quid egerunt tot seculorum, homines ante Christum. Epist. 102. Tom. II. ed. Bened. Consimili scrupulo certi nominis Christiani hostes, de gloria sapientiae Dei, nascente Iesu, manifestata detrahere, iniquius, allaborarunt, eundem uix tolli posse, arbitrati. Celsus certe, insignite impudens, ergo nunc, quacrit, tandem post tot secula, recordatus est Deus, infissare uitium hominum; quod priore tempore neglexerat. Origen. adu. Cels. libr. IV. p. 165. Nolo afferre alios, qui iisdem, perulantis ingenii, ludificationibus diuina lacessere consilia haud subueriti sunt, ab Arnobio non male castigati. Sed si, inquit, Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitus exilio liberaret, quid secula commeruerunt priora, quae ante ipsius aduentum mortali tatis conditione consumpta sunt? Potestis enim scire, quid sit cum eis animis actum priscorum ueterinorumque mortalium? Subuentum est his, aut sit ratione aliqua consultum atque pronisum? Potestis, inquam,



tiam quaestioni, arrogantiamque, si ab antiquioribus pri-
scae memoriae discesseris doctoribus, reuicit ex instituto
Olearius, lectissimae uir doctrine, atque, ut Prudentii
in Romanum elogium ad illum transferam, Christi fortis
assertor Dei, in bonae frugis libro, de Iesu, nero Mes-
sia.²¹⁾ Percontemur, licet, hoc duce, temporis, quo sa-
lutis nostrae Deus hanc salutauit terram, rationem, quo
consilium Dei accommodatissimum sit ipsa luce clarius.
Erant tum homines terribilis obruti uitiis, horumque
diritate atque immanitate morbos humani generis despe-
ratos faciebant. Id si de Iudeis credere nolueris, Iose-
phum ille merito laudat testem, atque in primis e rebus
ab Herode eiusque filiis gestis, quo fuit spatio Christus

in

*inquam, scire id, quod Christo potuit docente cognosci. Incognitas
uobis relinquente quaestiones Adu. gentes libr. II. p. 39. Quaestio-
nem hanc omnem, quam in transcurfu attingo, pro rei disceptarunt
dignitate, et honorem sapientiae Dei, ad aptissimum prorogantis
tempus filii sui. aduentum, egregie a criminationibus malefanae sa-
pientiae vindicarunt b. Mayerus in dissert. de quaestione, cur Deus
non statim post lapsum fuerit incarnatus, sed mundi expectauerit se-
nectudem, atque item, Summe Vener. Vualchius, exquisita com-
mentatione, de tempore aduentus Messiae idoneo, in Miscellaneis Sä-
cris reperiunda p. 880*

21) p. 310

in lucem editus, uincit, Abrahami posteros ea aetate insanabili fuisse ingenio. Nec uero gentes congruenter rationi conuenienterque uiuebant, sed anilem superstitionem prauitatem impudenti, et uix ab homine expectanda, sempiternae prodebat ignominiae. Hic ego non utar cum Oleario testimoniiis, historicorum populi Romanorum et Satyricorum, sed diuinum aduocabo Paullum, primo, ad Romanos, epistole capite, quam portentosis arx gentium omnium fuerit facinoribus contaminata, abunde exponentem. Adde antiquissimos coetus nostri Antistites, ²²⁾ sacra Christianorum a malevolentissimis profanorum hominum obtrectationibus liberantes, quibus legendis, parum abest, quin fabulam quandam Romanensem nos credamus euoluere, ipsius tamen Baylii ²³⁾ de Cometis iudicio, in probrum hominis, atque maximaе hominum partis aeternam damnationem, nimium ueram. *Je soutiens, que s'il y avoit des esprits, qui ne conuissent l'homme, que par sa definition, d'animal raisonnable, et nullement par l'histoire de ses faits, il seroit impossible, de leur persuader, que les liures d'Arnobe etc. etc. ont été écrits contre une religion, actuellement établie dans le monde. Ils dirroient,*

C

²²⁾ Vid. Eusebius in praepar. Euang. p. 8

²³⁾ Pensées diuerses §. 124

roient, que cela ne se peut pas , que ce sont des fictions, et des Romans. Cependant il n'est que trop vrai, à la honte de l'homme, et à la damnation éternelle de la plus grande partie des hommes. Quod si, quo periculosior est ualeudinis impetus, quo magis anceps eius curatio, hoc uehementius sentitur, hoc cupidius medicus expetitur, hoc maiori laetitia accipitur, quis dubitet, quin Christus opportuno tempore supperias Iudeis tulerit ac gentibus, cum homines ipsi suam desperarent salutem, ac diuinæ miserationis maxime indigerent.²³⁾ Isdem temporibus haec

medi-

24) Hanc ad sententiam accommodate admodum sua iam aetate Gregorius pronuntiat Nyssenus. *Quod humanae uitae non ab initio, sed ab extremis temporibus, dominus apparuerit, hanc merito forfasse causam quispdam existimabit, quod, qui, malitiam ut tolleret, humanam uitam erat ingressurus, expectauit necessario, ut omne ab inimico satum propagatumque peccatum germinaret, ac tum demum, ut legitur in euangelio, radici securim admonuit.* Nam et qui praestant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit, et ex causis, morbum efficientibus, paullatim intenditur, obsecundant morbo, quoad uis ad summum peruenirit, nec cibi subsidium ultum aegrotanti praebent; at ubi malum constiterit, patesfacto iam toto morbo, tum artem adhibent. Sic animorum aegrotantium medicus expectauit, dum malitiae morbus, quo natura hominum uicta laborabat,

se

medicina disseminari latius poterat, atque ad plurium hominum utilitates spargi. Nam cum antea artes, quae ad humanitatem pertinent, finibus regionum Graecarum atque insularum continerentur exiguis, Christi nati memoria adeo longe penetrarunt, ut, auctore Cicerone, Graeca legerentur omnibus fere gentibus.²⁵⁾ Quo factum est, ut felicitatis nostrae, per Christum reparatae, nuntius tum facilius ad omnes perferretur populos ac nationes, commodiusque intelligeretur.²⁶⁾ Opus tam arduum res Ro-

C 2


mana,

*se totum aperiret, ne latens aliquid incuratum remaneret, si curaret
id solum, quod cerneretur.* Orat. in Natal. Christi p. 773. Tom.

II. Opp

25) Pro Archia c. 10

26) Breuiter, sed, more suo, neruose, excitat nos ad uenerandum pie maturrimum Dei consilium, in prorogando filii sui ad incolas mundi eduentu, usque ad florentissima Romanorum tempora, magnum Fridericianae decus et praesidium, S. V. D. Baumgarten: *Wie durch die Verbindung so vieler Laender und Voelker von hoechst verschiedenen Sprachen, Sitten und Gesetzen, unter ein Reich und zu einem gemeinen Wesen die Bequemlichkeit des Gewerbes und Handels, Sicherheit der Reisen und des Aufenthalts der Fremdlingen, auch Ausbreitung guter Gesetze, sowol, als nutzlicher Künste und Wissenschaften, auch gemeiner Sprachen sehr erleichtert worden, welches alles den ersten*



mana , magis magisque dilatata , non parum iuuabat , ui-
amque coelestis doctrinae praconibus patefaciebat , ad ur-
bes sedesque remotissimas progrediendi , et gentes etiam bar-
baras

ersten Boten und Predigern Chrijflicher Lehre hoechst vortheilhaft gewesen , so hat selbs die Monarchische Verfassung des Roemischen Reichs , sonderlich bey der nachmählchen Beschaffenheit der Nachfolger Augisti zum Vortheil des Chriflentbums gereichen müssen . Kirchen-Gesch. Ister Theil p. 60. Alias , praeter ea , quae hactenus a nobis allata sunt , rationum momenta , ingeniosius subtexere uidetur caussas , ad postrema mundi tempora dilati ortus Iesu nostri salutaris , Vener. Chrysander , ex quibus non minus eximia Dei eluceat sapientia. Arbitratur enim in meditationibus sacris , anno superiore , foras datis , ita prouidentissime negligentiae et summae mortaliū leuitati cautum fuisse , quippe quibus familiare admodum fit , ut meritorum erga se memoriam , labente tempore , ex animis suis euelli facillime concedant. Audiatur ipse. Jetzt sind es 1753 Jahr , da diese Himmel und Erden bewegende Begebenheit vorgegangen , man betrachte aber das schlaftrige , das traege und kaltfinnige Verhalten sehr vieler Menschen dagegen. Sie hoerens an , und lassens dabey , daß sie davon gehoeret haben : sie nehmen sich nicht recht an , sie thun , als ob es ihr Heyland nicht maere , der gebohren worden , sondern es ist ihnen etwas frembdes. Wie nachlaesig , kalt , gleichgültig , und unbeweglich würden diese seyn , wenn die Geburth Christi nun so lange , als die Welt gestanden hat , 5753 Jahr , oder ohngefehr so lange her wae-

re!

bāras ad sanitatem reducendi. Atque his ipsis Romanis
opibus accidit, ut tempus nanciseretur idoneum sol exo-
riens iustitiae, Iudeorum uiribus sensim debilitatis, ac tan-
dem penitus afflictis. Quem enim praeterit, pacificato-
rem communem, cui gentes pareant, uenire prius, ex
supremo Iacobi morientis carmine ²⁷⁾, non debuisse, quam
sceptrum ab Iuda recesserit, atque rēctor, ab eius stirpe
oriundus. Hic uero locus sapientiam Dei, si quisquam
alius, in manifesta collocat luce, subtilibus tamen erudi-
tissimorum hominum dubitationibus admodum uexatur,
qui breui, nisi quid fallor, redigerentur ad concordiam,
limato Casauboni iudicio cauſā si disceptarent. Mihi
quidem sententia eius magnopere semper placuit, quod
eam non modo rerum gestarum monumenta confirmant,
sed diuinae etiam iustitiae conditio, diuturnam concedens
impunitatem, et bonitatem sapientia temperans. Ac fa-

C 3

tis

*re! waere der Messias damahls schon gebokren, so würde er nicht
so lieblich gewesen seyn, und man haette damahls die Groesse der
Bärmbertzigkeit Gottes, in Sündung seines Sohnes, nicht so deutlich
erkannt, weil in einer so kurtzen Zeit die Groesse des menschlichen
Elendes, und dessen Unheilbarkeit, noch nicht in ein volles Licht ge-
setzt worden. Vide ei. Erbauungs-Stunden auf die vier Hoch-Feste
des Jahrs. Cell. 1753. p. 49*

²⁷⁾ Gen. XLIX. 10

tis quidem constat, magnam, sub incunabulis Christi, in Iudeorum republica, conuersionem factam. Testis est census, 28) quo posteritas Abrahami, nomina sua professâ, in
publi-

28) Hunc ego censum, auctoritate Augusti summa procuratum, quoties mecum agitare mente soleo, semper p̄c̄t̄; sapientiae diuinæ in ortu optimi nostri Scrutoris religiosissime ueneror, propterea, quod hoc euentu, ad memoriam omnem insigni, origines Iesu hominis in summa collocatae fuerunt luce. Hinc, hinc factum memineris, nemo capitalium doctrinæ, diuinitus proditæ, hostium, diuinissimum Christi nomen, in Romanorum tabulas redatum, in dubium incertumque reuocare ut ausus fuerit. Non Porphyrius, alias in placita Christi disciplinae contumeliofissime debacchatus. Non Celsus, sacrorum nostrorum, auctore Origene, interiores recessus quamlibet multo perforatus studio. Non Julianus, eti ingeniosissime, magnaue animi calliditate, rem Christianam omnem adortus. Quid. Ipsae gentes, a Sacris castioribus alienissimæ, quod religionis nostræ fidem summopere augeat necesse est, inscientes imprudentesque, consilii diuini de aduentu Messiac, extra omnem dubitatem repónendo, procuratrices et administratrices esse debuerunt, quem ad modum, de Augusto in primis, recte præcipit modo excitatus celeb. Chrysander. *Augustus muſte ſelbſt, wie wiſſend, ein Diener Christi ſeyn, und dazu beſſern, daß der Meſias an dem rechten Orte geboren, und daß ſeine Herkunft aus dem Haufe Davids unlaugbar würde. Augustus dachte an nichts weniger, als an den Sohn*


publicas censualesque, ut cum Vlpiano loquar, erat tabulas referenda. Quod decretum quo ualuerit, dubitationibus scite expeditis, instar omnium docet Jacobus Perizonius.²⁹⁾ Illud autem uenit in praecipuum controuersiam, a quibus tandem initii profectum hocce detrimentum, funestam postremo pestem Iudeis ac perniciem conflare. Res omnis ut appareat, Casaubonus³⁰⁾ principium ruentis ad interitum ciuitatis Iudeorum, et quasi seminarium, dicit ab anno ante Seruatum natum sexagesimo. Namque tum Pompeius Hiero-

soly-

Sohn Gottes. Er folgte dem Triebe seiner Leidenschaften. Er hatte seine politische Absichten. Gottes Finger aber brauchte sie zu höheren Absichten. I. c. p. 69. Eandem, ante illum, in sententiam Bernhardus ingressus erat Lamius, *suspiciamus*, praecipiens, admirandam Dei sapientiam, qua uititur hominibus scientibus et nescientibus. Sinit quidem homines proprios suis motus exercere, et suis obsequi studiis, sic tamen affectus eorum regit, ut suis ab aeterno deliberatis consiliis seruant. Procul enim dubio nec Deus, nec Christus, obuerfabantur animo Augusti. Intelligebat Imperator, e re sua esse, vires totius imperii habere numeratas. Verum Deus Imperatore utebatur, ut testimonio, cui refragari nemo posset, constaret, Iesum esse de domo David. Comment. in Concord. Euangel. Libr. I. c. 9

²⁹⁾ Dissert. singulari de hoc censu, commentationi de practorio subiuncta

³⁰⁾ Exerc. I. ad Baron. p. 19, sequ.



polymarius, a Bergero tam luculenter pertractatus, occulta ac recondita templi, quo praeter Pontificem Maximum, idque semel quotannis, adire fas non erat, quae sancta sanctorum appellant, perrumpit, tributa minus ferenda imperat, potestatem summam libidini Romanorum subiicit, ut reges Iudeorum fiant inferuientes ³¹⁾ atque, ut Iosephi ³²⁾ lamentationem repetam, Iudei prolem libertate sua priuat. Latius manauit dura Iudeorum fortuna, Iudea in formulam prouinciae redacta, Syriaeque addita, cum Archelaus, anno post natalem Christi circiter decimo, esset Viennam relegatus. Supremum rei Iudaicae uulnus incendium templi, urbisque disturbatio, inflxit, eaque fatalis clades anni a Mariae partu septuagesimi memoriam prodidit. Fuit igitur hoc percommode tempus Christi, miseriae nostrae interuenientis, diuinitus dictum, quo Iudei, Romanorum iugo pressi, ceremoniarum suarum, per se satis molestarum, grauitatem sentiebant acrius, proximaeque internecionis horrenda uidebant primordia, uatum priscorum oraculis praesignificata. Dei tamen sapiens gubernatio rerum humanarum ac procuratio, cum poenis misceret beneficia, dum possessionum aestimationem homi-

31) Conf. b. Bergeri disp. de Herode magno rege inferuiente
32) XIV. 8

hominumque professionem, immunitatis ademptae signum
 quam certissimum, filii sui nomine consecrauit. Nam
 confluente undique magna multitudine, ut in sua quisque
 censeatur urbe, parentes etiam Christi domicilium relin-
 quunt, ac Bethlehem demigrant, ubi Maria foetum,
 tot saeculis expectatum, feliciter edit, editumque curat in
 tabulas censorias referendum. Quam uiam Deus ingre-
 sus, primum uaticinationem, de Bethlehem, patria ducis,
 populum suum paucantis, ueteris instrumenti literis man-
 datam, ipsis fatentibus hostibus, implet. 33) Deinde si-
 gnum salutis, quam Christus affert, tollit ingenti concur-
 su hominum, ex agris, uicis, et domibus, quos census Beth-
 lehem coegerat, quos pastorum commemoratio, de geni-
 is coelestibus uisis, magis commouerat, quos apparatus
 magorum concitauerat, ad regis Iudeorum, recens nati, fa-
 mam, quam fieri poterat, latissime disseminandam. Po-
 stremo ne gentibus quidem, a uero Deo remotis, publi-
 cum deest monimentum, illius comperiendi, quem Deus
 ipsis, in crassis tenebris iam dudum iacentibus, lucis instar
 constituerat. Cuius argumenti robore Iustinus, cruentus Chri-
 sti testis, ductus, ut, Seruatorem Bethlehem primam ui-

D

diffe

33) Matth. II. 4

disse lucem, efficiat, descriptiones census, Cyrenii ministerio peracti, citat, quod illustrius, quo firmare fidem possit, testimonium non habet.³⁴⁾ Quid. Nonne Tertullianus, ipsis in tabulis operis censorii Christi nomen conspicatus, illud quanto gaudio, tanta pietate, perpetuae commendat recordationi.³⁵⁾ Iam si dux salutis nostrae, tempore nouissimo ueniens, alacrius est exceptus, eiusque gloria longius felicissime sparsa, si Iudeorum collabefacta potentia principem pacis adesse manifestius probauit, si census tunc habitus maiorem coetus, ea causa congrega-


³⁴⁾ Apol. II. fol. 75

³⁵⁾ Praeter alios doctrinæ Christi propugnatores et vindices, obseruauiimus, Septimum saepius hos Romanorum codicillos commemorasse, idque haud temere, propterea, quod cum audacie homini ingenii, Marcione, consilierandum ei erat, quem ea, quae diuinitus literis erant, per Lucam, de censu Augusti prodita, ad incertum redigere studuisse constat. Ex uariis Florentis locis unum decerpere liceat. *Quomodo in Synagogam potuit admitti, tam repentinus, tam ignotus, cuius nemo adhuc certus, de tribu, de populo, de domo, de censu denique Augusti, quem testimoniū fidelissimum Dominicæ nativitatis Romana archiva custodiunt.* Adu. Marcion. Libr. IV. c. 7. p. 700. coll. capp. 19. 36. et libr. de carne Christi cap. 2

ti, mouit expectationem, ac posteris publica auctoritate Christi confirmauit ortum, quis est, qui dubiter, in Pauli sententiam pedibus ire, tempore uero completo, Deum filium suum, ad nos sibi reconciliandos, demississe. Οτι
ηλθε το πλησιωμα του χριστου, ἐξαπέσειλεν ο Θεος ταν μεν αυτου, γε-
νέμενον εν γυναικεσ 36). Sed summam facit admirabilitatem,
ipsum, a sapientia Dei repertum, felicitatis nostrae in pri-
stimum restituendae praesidium, quod excogitare nulla,
uel cultissima, potuit ratio. Haec pugnam quandam in
virtutibus Dei magis animaduertit, quam componit, quia
numen sanctissimum non potest uitia non punire, sua ta-
men misericordia, quo minus poenas repeatat, impeditur,
praesertim cum peccatum hereditate misera iam a paren-

D 2 tibus

36) Gal. IV. 4. Scite prorsus horum praesidio uerborum iis, qui
curiosius, quam par erat, quaerere solent, cur adeo tarde Christus
homines inuiserit, occurrit Augustinus. Ideo, inquit, multi dicunt,
quare non ante uenit Christus. Quibus respondendum est, quia non
dum uenerat plenitudo temporis, moderante illo, per quem facta
sunt tempora. Sciebat enim, quando uenire deberet. Primo per
multam seriem temporum et annorum praedicendus fuit, non enim
aliquid paruum uenturum fuit. Diu fuerat praedicendus, semper te-
nendus. Quanto maior index ueniebat, tanto praecolum longior se-
ries praecedebat. Tom. III. Opp. P. 2. p. 379



tibus accipiamus. Age uero, omnes ingenii neruos contende, ut hanc repugnantiam tollas, omnia, crede mihi, mouendo promouebis nihil. Quo maiorem sapientissimum Numen gloriam reportat, cuius amore, omni captu nostro superiore, nobis contigit Σωτήρ. Huius enim sponsione dotes Dei in concordiam reducuntur, ut, cum satis sit iustitiae eius factum, nostram commiseratus conditio nem, uiuos nos mortuosque felices et beatos reddat. Cui negotio confiendo par fuit Christus, natura uestitus nostra, ut poenas meritas debitafque persolueret, sua uero diuinitate uim compararet infinitam. Itaque satis laudare non possum prudentiam Fresenii, uiri de re sacra publice priuatimque meritissimi, qua hominem, rationi suae nimis confisum, a temeritate reuocauit in uiam, Deique consilio, per filium suum, sanguinis participem nostri, rebus subueniendi nostris, in tantas redigit angustias, ut sponte atque ultro, nihil diuinius, nihil commodis nostris conuenientius decerni potuisse fateretur, imo addereret, hoc quidem suae rationis excedere captum, nullo tamen modo ab se repudiandum 37). Adeo nos sapientiae diuinae

37) Vid. ci. *Merckwürdige Nachricht der Bekehrung eines Naturalistens*

nae magnitudo percellit, ut laeti coelitus nos adiungamus, alta uoce δόξα εὐ νίκησοις Θεῷ canentibus

At hunc pietatis in Deum, Christo nascente, GLO-
RIOSISSIMVM, sensum ipsa cum humanitate sua exuunt,
ingratique crimen animi, in quo nihil mali non inest, me-
rito subeunt illi, qui temporibus nostris omnia rationis au-
daciis iudicio metiuntur, et, quicquid in codice diuino af-
flatu consignato non possint animo comprehendere, sta-
tim negant, et falso risu exagitatum contemnunt.

D 3 cem

*stens p. 63. 65. 66. ubi sinceram habes hominis, ad saniores reuoca-
ti mente, professionem, quam, uellem, etiam arque etiam animo
mandarent fortissimi acutissimum, nostrae actatis, ingenii homines,
quotquot placita augustiniana nostrae religionis in dubitationem
adducere, et irridere audent, quia rationis praefidiis compe-
hendi diuidarie nequeant. Ita nero ille. Ich habe die Lehre von
einer solchen Person ohnmöglich mit meiner Vernunft reimen koen-
nen. Weil aber die Lehre von den Graentzen der Vernunft mich
überzeuget, daß ich von Dingen, die ich nicht begreiffe, nicht urthei-
len kan, so würde ich thoericht handeln, wenn ich es dennoch thea-
te. Und wenn ich eine Sache, deren Gewißheit aus richtigen Princi-
piis bewiesen ist, nur deswegen, weil sie mir unbegreiflich ist, ver-
werfen wollte, so handelte ich verwegen und gottloß*

eem sequuntur infelis ingenii Spinosam, qui nos, Deo naturam tribuentes humnam, in tempore susceptam, non minus absurdē loqui putat, quam si quis, circulum induisse naturam quadrati, dicat.³⁸⁾ Verum, sicut hoc Mathematicis futile non uidetur, atque ineptum, circulum induisse naturam quadrati, quod ei inscribatur, vel circunscribatur, imo uero ex Euclide³⁹⁾ ἀποδεικνύται atque exploratum, ita de conuicio hominis spinosi laboramus nihil, claris ipsis Dei testimoniosis confirmati. Neque nos humanius tractat Tindalius, ac doctrinam, de Christo nascente saluberrimam, superstitionis accusat anilis, e gentium profanarum fabulis haustae, atque ab ultimis coetus Christo dediti praestantissimisque doctoribus magna cum detestatione reiectae. Assert accusationi suae fidem autoritatemque, Iustini Martyris, Tertulliani, Eusebii, Minucii Felicis, cumulatis locis, sed, more suo, pessima fide depravatis.⁴⁰⁾ Nam de filio Dei uerba non facit Iustinus, sed de patre,

38) Ep. XXII. p. 452

39) VI. 6

40) Quem ad modum existimet iste, ex uerbis ipsius intelligamus, licet. *The primitive Fathers bitterly inveigh'd against these heathenish Notions:*

patre, quem in ueteri, negat, instrumento, oculis patrum usurpatum, ob eamque rem formulas loquendi de ascensu Dei, ac descensu, a Moze usurpatas, aliasque generis eiusdem,

pro-

Notions: *Iustin Martyr* for instance says. *None, who have the least sense, will dare to affirm, that the maker et Father of the universe did appear in a small spot of earth, the God of the universe can neither ascend, nor descend, or come into any place.* Tertullian says. *He woud not believe the sovereign God descended into the womb of a Woman, tho even the Scripture itself should say it.* Tis impossible, says Eusebius, that the eyes of mortals should ever see the supreme God; viz. *Him, who is aboue all things, et whose essence is unbegotten et immutable.* Again. *Tis absurd, and contrary to all Reason, that the unbegotten et immutable nature of the almighty God should take the form of a man, or that the Scripture should forge such like falsities.* Minutius Felix in his *Apology* says. *That the Deity can't dye, nor can any thing which is born be a God: That only is divine, which has neither beginning nor end.* If the Gods get chil dern, they would get them immortal: We must conclude those Gods to be men, of whose birth et burial we are fully satisfy'd. *Thus the Fathers expos'd the Pagan Polytheism.* Christianity as old as the Creation p. 76. fq

proprie non explicandas praecipit. Filii potius sui opera de-
disse mandata patribus antiquissimis docet, ad eumque per-
tinere magnificas illas prisci foederis uisiones, donec illud Dei
uerbum, corpore cinctum humano, in hunc tuerint orbem.
Sed hoc idem uerbum Dei nominat Deum, hoc cum
ipsa diuinitate summum rerum omnium imperium, praedi-
cat, a patre accepisse, hoc a priscis patribus pro Deo cul-
tum, Tryphoni quoque et ceteris Iudeis adorandum com-
mendat. Quae cuncta, tantum abest, ut filii Dei descensum
in Mariae uterum labefactent, ut eundem stabiliant egre-
gie. 41) Consimile ferendum de Tertulliano iudicium,
quod aduersus eos disputat, qui patrem quondam filium
que commiscebant, et patrem a Maria conceptum temere
fingebant. Id si quis iactet, credendum non uideri putat, ne-
que fortasse, id quod modeste interponit, amplectendum,
etiam si Scriptura testetur. At ideo filium Dei natum haud
insinuatur, eiusque numen diuinum, paullo ante locum com-

memo-

41) Μη ἡγεῖσθε, ἀντὸν τὸν ἀγιουστον Θεόν καταβίβηκίνας ὃν ἀπαβίβηκάτε ποδίον. Οὐ γάρ
ἀρέσκει τοῖς πατέρεσσι καὶ Κύριος τῶν πάτερων, ὅντες ποιοῦσιν αὐτοὺς περιπτάσσειν. Dial. cum
Tryph. Iud. p. 357

memoratum, defendit ipse, quamuis in naturae uenerit nostrae societatem. 42) Corruptela uero Eusebii, a Tindalio tentata, tam uersuta est, tam perfidiosa, tam fallax, ut se ueram castigationem iure mereatur. Nam, ut taceam, Eusebium manifesto de patre agere, a nullo genito, principio capitis huius ipse largitur, filium Dei naturam induisse hominum, arctissimeque cum diuina natura in eadem persona copulasse. Conuersionem modo naturae utriusque et commutationem repudiat, cuius coetus Dei recte sentiens quondam Eutychis familiam damnauit. 43) Postremo ne Minucius quidem Felix, profanorum Deum orrum ridens atque interitum, caussam nostram infirmat. 44)

E

Quis

42) Scilicet et haec ne de filio Dei credenda fuissent, si scripta non essent, fortasse non credenda de patre, licet scripta, quem ipsis in uulnus Mariae deducunt. Adu. Praxeam cap. 16. p. 85

43) Οὐδὲ τὸν ἴππον Θεὸν γύνιον διὰ τούτων δηλοῦθαι μεταβάλλειν γινεται φόνος τὸ θεῖον, καὶ χρυσατίζειν εἰς αἵδος εἶδος καὶ μορφήν, εὖν εὐαγγίς. Demonstr. Euang. ed. Rob. Steph. p. 147. et in Hist. Ecc. Εἰ γινεται επιτερότερος λόγος τὴν πάγινην καὶ ἄπειπτον οὐσίαν Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς αἵδος εἶδος μεταβάλλειν, μετὸ δὲ αὐτῆς γυναικού μηδένος φαντασία τοὺς ὄφεις ἐξαπατᾶν, μηδὲ μην Φυνδᾶς τὰ τοιαῦτα πλάσσειν τὸν γερφόν. Libr. I. cap. 2. p. 6.


44) Ergo nec de mortuis dili, quoniam Deus mori non possit, nec de
matis,

Quis enim nostrum filium Dei, tanquam Deum, in tempore natum, perpeſsum, mortuum, censet, quas proprietates humanae naturae statuimus, quae nunquam proprietates diuinae naturae siant. 4) At enim copulatio naturarum et coagmentatio in persona eadem facit, ut non nude, et sola humana natura haec obeat, nec *Mariæ hominem duntaxat*, sed *talem hominem, qui uere filius Dei altissimi sit, gignat.* 46) Quae cum ita sint, uerissimum reperitur illud, de quo maiores nostri, sanctioris ciuitatis usu docti, recte nos commoneſaciant, *Christum mysterium esse, ad quod omnes baeretici capitibus suis impingant.* 47)

Sanctiori nos religione, Ciues Lectissimi, granditatem huius doctrinae maximam, feriis, quas iterum celebramus, Christi natalibus, iam prosequamur. Adiungamus nostras uoces coelitum choro, quo sumus stipati, et gloriam Deo immortali iustam deferamus. Etenim si beati genii, quorum naturam Christus non suscepit, nihilo tamen lecius eius natūrā, quoniam moritur omne, quod nascitur, diuinum autem id est, quod nec ortum habet, nec occasum. Octau. p. 236. ed. Gronou
 45) Formula Concordiae p. 763, 46) L. c. p. 766
 47) L. c. p. 787

eius aduentum singulari gaudio, et concordi cantu, denun-
 tiant, quanto magis nobis gratulemur perpetuo, quod caro
 nostra, et sanguis noster in Christo, in tantam sublimitatem
 sit collocata. 48) Alet pietatem nostram, et magnopere
 augebit, quotidiana sapientiae diuinae commentatio, quae
 suo quamque rem tempore agit, quae nos rebus fortunis-
 que nostris culpa nostra euersos, recepit in amicitiam,
 quae, cum nihil in ulla re condita spei, de iactura nostra
 reconcinnanda, nobis esset relictum, per filium Dei nos
 placauit sibi, ac sempiternae reddidit felicitati. Quo stu-
 diosius connitamus, ut sancte integreque hoc excelsum
 pieratis mysterium, unicum incolunitatis nostrae robur
 ac firmamentum, conseruemus, eiusque hostibus omni-
 bus, qui nostra memoria, dementis arrogantia sapientiae,
 uariis illud ac perniciosis erroribus oppugnant, strenue re-
 fistamus. Naturam maxime nostram, in qua filius Dei ipse
 Diuinitatis suae sedem fixit, tanti faciamus, ut eam uolu-
 ptatibus, quas otium inflamat, ne contaminemus, sed ca-
 stimonia temperantiaque saluam atque incolumem tuea-
 mur.

48) L. c. p. 788



mur. Quas ad uirtutes cum nos cohortentur illi, qui sacra sine labe procurant, liberalitatem nostram iure sibi conciliant, muneribus nostris comprobandam. Sic uos gerendo, Ciues Praestantissimi, Seruatoris nostri beneficiis uos dignos praestabitis, eiusdemque imitatione crescentis sapientia, et, quanta Dei gratia, tanta parentum uestrorum laetitia, florebitis, nostramque Academiam, quae uos in sinu fert oculisque, insignibus ornamenti afficietis.

Δέξα εν θύμοις Θεῷ

P. P. in ipso Natali Iesu Sacro VIII. Kal. Ianuar.

M D C C L V


V I T E M B E R G A E
PRELO EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS



01 A 6538



5b.



DEVM NASCENTE CHRISTO GLORIOSISSIMVM

DILAVDARE INSTITVIT

ET

CIVES ACADEMIAE AMANTISSIMOS

AD

NATALIA IESV

RITE RELIGIOSEQ CELEBRANDA

OFFICIOSISSIME INVITAT

IOACHIMVS SAMVEL VVEICKHMANN

S. S. THEOLOGIAE DOCTOR HVISQVE PROFESSOR
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI
ASSESSOR ET AD OO. SS. PRAEPOSITVS SVIQUE
ORDINIS H. T. DECANVS

VITEMBERGAE D. XXV. DECEMBR. MDCLIV

PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

